

quibusdam circumstantiis vestita legitur, ex cujus vero narratione tam fabulæ occasio, quam significatio evidenter patet. Hæc ibi latine versa leguntur. *Hoc est quod scribitur Jer. LI. 44. & visitabo super Bel in Babel, & educam, quod deglutivit ex ore ejus. Fuit Nebucadnezari draco quidam, qui deglutivit, quicquid ei objecerunt. Dixit Nebucadnezar Danieli, robur magnum est illi, deglutit enim omne, quod projiciunt ipsi. Respondit Daniel ei, da mihi libertatem, ego destruam eum. Dedit ipsi Rex libertatem, quid fecit Daniel? accepit stramen & abscondidit in eo clavos acutos, eosque projecit ei, quo facto, clavi viscera ejus perforarunt. Hoc est, quod dictum est Jer. LI. 44. & visitabo super Bel in Babel, & educam, quod deglutivit ex ore ejus.*

## §. 9.

Ex hac narratione patet tam inventionis occasio, quam ipsius fabulæ significatio. Judæus quidam legit verba Jeremiæ *Cap. LI. 44.* ubi propheta dixit: *Deum visitaturum esse Belum Babylonia, & protracturum ex ore ejus quæ deglutivit, nec non v. 34. Devoravit nos & contrivit nos Nebucadnezar rex Babelis, constituit nos vas vacuum, absorpsit nos uti draco, replevit ventrem suum deliciis meis & ejecit nos.* Propheta Babyloniorum antiquissimum idolum Belum comparavit cum bellua rapaci, quæ plures populos deglutiverat, existimavit enim rex Babyloniæ, omnisque ejus populus, victorias felicesque armorum successus adscribendos esse gratiæ & fortitudini idoli Beli. Deinde prædixit propheta, Deum visitaturum esse Belum, & protracturum ex ore ejus omnia, quæ deglutivit, quo significavit, Deum Israelis destructurum esse regnum Babyloniæ, pudoreque affecturum *Jer. L. 2.* & educturum populum suum ex eo *Jer. LI. 45.* Hæc legens